

~~~~~

**COMPENDIUM**  
**THEOLOGIAE MORALIS.**

—

**LIBER PRIMUS.**

DE REGULA ACTUM HUMANORUM.

—

**TRACTATUS PRIMUS.**

DE REGULA INTERNA, SIVE CONSCIENTIA.

CAPUT PRIMUM.

*De Conscientia recta, erronea, perplexa,  
& scrupulosa.*

1. **H**umanarum actionum duplex omnino est regula; altera remota dicitur, altera proxima. *Remota*, seu materialis est lex divina; *proxima*, seu formalis est conscientia. Quoniam licet conscientia in omnibus divinæ legi conformari debeat; bonitas tamen, aut malitia humanarum actionum nobis innotescit, prout ab ipsa conscientia apprehenditur. *Ratio humana*, inquit D. Thomas, est regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuratur. l. 2. q. 19. a. 4. Et clarius quodl. 3. art. 27. *Actus humanus judi-*

De regula interna, sive conscientia. 39

catur virtuosus, vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur, & non secundum materiale objectum actus. Agemus igitur primo de regula proxima, seu conscientia; deinde de remota, nimirum de legibus.

2. *Quæst. 1.* Quid est conscientia? R. Est *judicium, seu dictamen practicum rationis, quo judicamus, quid hic, & nunc agendum ut bonum, aut vitandum ut malum.* Dicitur autem dictamen practicum, quo differat a synderesi, quæ est cognitio speculativa principiorum universalium ad bene vivendum; puta: *Deus est colendus: quod tibi non vis, alteri ne feceris, cet. ut. tradit T. Thomas p. 1. q. 79. art. 12.*

3. *Quæst. 2.* Quotuplex est conscientia? R. Dividitur in rectam, & erroneam, perplexam, & scrupolosam, dubiam, & probabilem. Recta est ea, quæ dictat verum: peccat igitur qui contra illam operatur, cum dicat Apost. Rom. 4. *Omne quod non est ex fide (nempe ex dictamine conscientia, ut interpretes explicant) peccatum est.* Conscientia vero erronea est ea, quæ dictat falsum, tanquam verum. Quæ rursus aut *vincibilis* est, aut *invincibilis.* Dicitur *vincibilis*, seu culpabilis, quam quis ex neglectu non vincit, cum possit, ac debeat eam vincere, vel quia errorem animadvertit, vel de illo saltem dubitat, & de obligatione illum vincendi. Ita S. Antoninus, & communiter TT. cum D. Thoma. Notant autem Salmanticenses, & alii opus non esse, ut diligentia, quæ adhibetur ad vincendum errorem, sit maxima, sed sufficere, ut communis sit; & ordinaria, qualem in gravibus ene-

gotiis adhibere solent homines industrii, ac prudentes. *Invincibilis* est, quæ moraliter vinci nequit, cum nulla cogitatio, aut dubium erroris venit in mentem operantis ne in confuso quidem, dum actionis causam ponit, prout explicabimus in Tract. de peccatis, dum de advertentia requisita ad peccatum ex instituto disseremus.

4. Ex dictis sequitur 1. eum, qui conscientiam habet vincibiliter erroneam, semper peccare, sive juxta eam, sive contra eam operetur. Peccat quidem agens contra conscientiam, eligendo id, quod putat esse malum: peccat item, juxta ipsam agens quia cum errorem vincere & possit, & debeat, illum non deponendo, temere operatur. Sequitur 2. eum, qui conscientiam habet invincibiliter erroneam, non solum non peccare, si juxta illam opereretur, sed aliquando teneri, illam sequi. Non peccat certe quia licet actio in se recta non sit, recta tamen est juxta conscientiam operantis; tenetur autem eam sequi, si conscientia, quæ est regula proxima, sic ei suggerit agendum.

5. Dubitari autem potest: an operans ex conscientia invincibiliter erronea adeo non peccet, ut & meritum apud Deum acquirat? R. Opinio affirmans probabilior est, & communissima. Nam ut docet Angelicus: *actus humanus judicatur virtuosus, vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur, & non secundum materiale objectum actus*, quodl. 3. art. 23. Et S. Bernardus ait, subditum prælato obedientem ex recta intentione meritorie agere quam-

vis materialiter agat contra legem. Quare vel ipsi adversarii, quamvis negent, actionem ex se malam posse esse causam meriti, fatentur tamen, in ipso opere malo intentionem piam, & voluntatem Deo placendi, esse laude, ac remuneratione dignam. V. Conc. Theol. Christ. Tom. 2. lib. 2. de Consc. disert. 1. c. 5.

6. *Quæst. 3.* An possit esse conscientia invincibiliter erronea circa præcepta juris naturæ? Breviter hic resp. posse quidem esse conscientiam invincibiliter erroneam circa conclusiones mediatas, ac remotas a primis principiis; secus vero circa conclusiones immediatas, & proximas, ut esset, auferre rem alienam, invito domino, occidere innocentem, & cetera hujusmodi. Est communis sententia, quam D. Thomæ auctoritate probabimus in Tract. de legibus. Interim nota, probari nobis non posse opinionem doctentium, invincibiliter eum errare, qui sciens, actionem externam, v. g. fornicationem esse grave peccatum, putat per errorem, desiderium fornicandi, non esse mortale, si fornicatio re ipsa non sequatur.

7. Ratio mihi est; quia volens deliberate actionem, qua scit, Deum offendi, non potest sine culpa ignorare, pravum esse desiderium agendi rem illam, quam scit a Deo sibi prohibitam. Et quamvis reflexe tunc non cogitet, se peccare in ipso desiderio, practice tamen peccat, volens operari contra præceptum Dei. Dices: sunt plures, præsertim rustici, qui interna ista desideria non confitentur, eo quod illa non putent esse peccata, nisi externo opere con-

summaverint. R. decipi eos quidem, liberos se credentes ab obligatione confitendi opera nondum consummata, confessarius autem prudenter judicare debet, eos re vera peccasse in ipsa prava voluntate, qua sese avertabant a Deo. Sed reliqua de conscientia prosequamur.

8. *Quæst.* 4. Quid intelligitur nomine conscientia perplexa? R. ea, quæ hominem in eo statu constituit, ut quaecumque partem eligat, peccare sibi videatur. Sit exemplum: potest quis servare vitam Rei, si pejeraverit: ex una parte præceptum Religionis urgent non pejerandi; ex alia præceptum caritatis erga proximum, quò per errorem putat se teneri. Quid aget in hujusmodi angustiis? R. actionem, si potest, suspendat, donec sapientes consulat: quod si non possit, tenetur eligere minus malum, vitando potius trasgressionem Juris naturalis, quam humani, aut positivi Divini quid vero, si nesciat discernere, quidnam sit minus malum? R. quamlibet partem eligat, culpa vacat, cum desit necessaria libertas ad formale peccatum.

9. *Quæst.* 5. Quid de conscientia scrupulosa & quo pacto cum scrupulosis Sacerdoti est agendum?

R. Scrupulosa conscientia dicitur, quæ ob levia motiva, absque rationabili fundamento (scrupulus enim est inanis apprehensio peccati) sæpe formidat de peccato, ubi revera non adest. Hujus signa sunt. 1. pertinacia judicii, qua scrupulosus sapientium consiliis parere renuit; consulit multos, sed nulli acquiescit; imo quo plures audit, eo magis perplexus evadit. 2.

frequens judicii mutatio ex levibus rationibus; unde oritur inconstantia in agendo, mentisque perturbatio, præsertim in externis actionibus, ut in celebratione Missæ, recitatione Horarum, Sacramentorum administratione, aut perceptione. 3. importunæ cavillationes circa actionum ipsarum circumstantias. 4. formidare in omnibus de peccato, & mente hærere, contra alienum, & proprium judicium; nec uno Confessarii dicto contentum esse, sed idem sæpius exquirere, cet.

10. Postquam ex traditis signis scrupulosum agnoverit Sacerdos, commendet ei maxime humilitatis virtutem, cum ex vitio superbix sæpe originem ducant scrupuli. Præscribat ei, ut caveat a lectione librorum, qui scrupulos fovere possint, & scrupulorum familiaritatem vitet. Deinde ne diu moretur in examine conscientia, præsertim circa ea, quibus magis vexatur. Item, ut fugiat otium, ex quo ut plurimum mens inanibus apprehensionibus repletur. Deinde, ut at Deo enixe precetur gratiam ad obediendum suo Directori; hoc enim præcipuum est, vel dicam, unicum hujus infirmitatis remedium, ut omnes spirituales Magistri docent. Hinc multum proderit, ut Confessarius ante oculos penitentis ponat egregias SS. sententias, quæ apud Doctores mysticos passim reperiuntur. Certe S. Antonius ex Gersone scribit: *qui renuunt credere Superiorum, & prudentum consilio ad tales scrupulos deponendum, & agendum contra eos, errant multipliciter.* S. Philippus Nerijs agebat, fidem præstandam esse Confessario, quia Dominus eum errare non permittet; nihil esse se-

curius, quam in operando voluntati directoris obtemperare, nihilque periculosius, quam sui ipsius iudicio se dirigere. Atque eadem fere ratione loquuntur S. Bernardus, S. Ignatius a Lojola, Franciscus Salesius, Bonavent. & alii, quorum una est sententia, pœnitenti obtemperandum esse præceptis Confessarii in iis omnibus, in quibus evidens peccatum non apparet.

11. Et quoniam scrupulosi non una, eademque ratione vexantur, varia adhibere quoque oppertet remedia. Alii pravis affliguntur cogitationibus, quibus assentiri sæpe timent. Hi monendi sunt, ut scrupulos spernant, nec in pravis cogitationibus sed in earum assensu esse peccata. Non omittat regulam a DD. sapienter traditam, eos, qui meticulosæ conscientiæ sunt, immunes a peccato iudicandos esse, nisi certo sciant, in peccatum consensisse. Alii de confessionibus præteritis semper sunt solliciti, optantque ea iterare. Hi, si confessionem generalem diligenter fecerint, aut in privatis confessionibus fuerint accurati, omnino sunt prohibendi, de præteritis culpis rursus confiteri, nisi jurare omnino possint, se grave peccatum admisisse, nec illud unquam esse confessos. Denique scrupulosis, qui in omni actione peccare formidant, imponendum est, ut contra scrupulos libere operentur, ubi certum non sit peccatum. Imo cum S. Antonino, ac Gersonio multi DD. putant, scrupulosum graviter teneri aliquando, contra scrupulos agere, cum ex nimia, & perenni anxietate grave damnum oriri possit in valetudine mentis, & corporis.

## CAPUT II.

## De Conscientia dubia.

12. *Quest. 1.* Quid est dubium, & quotuplex? R. dubium est suspensio assensus, & dissensus pro utraque parte. Quando ex neutra parte occurrunt probabiles rationes, dicitur dubium *negativum*; *positivum* autem, cum pro utraque parte, vel saltem pro una grave motivum adest ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito: hinc pro eodem fere accipitur dubium positivum cum opinione probabili.

13. Deinde dividitur dubium in speculativum, & practicum. Primum est; cum quis dubitat de rei veritate, v. g. an bellum hoc sit iustum vel iniustum, an opus hoc servile sit, vel liberale. *Practicum* autem est, dubium, quo de honestate rei dubitatur, v. g. an liceat mihi in tali bello militare; an opus hoc in die festo liceat exercere. Alii paullo aliter utrumque dubium explicant; scilicet speculativum, quo in genere quis dubitat, v. g. an liceat pingere die festo; practicum, quo quis dubitat nominatim, an hic, & nunc pingere, sit peccatum. Itaque distinguendum est verum a licito; dubium enim speculativum ex munere suo principali respicit verum, licet minus præcipue respiciat licitum; contra vero practicum respicit licitum.

14. *Quest. 2.* an, & quo modo peccet, qui

operatur cum conscientia practice dubia? R. peccare, & quidem peccato ejusdem speciei, & malitiæ, de quo dubitat. Ratio est, quia se exponit periculo peccandi, adeoque jam peccat ex illo Eccl. 3. 21. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Quare si dubitat, an sit mortale, mortaliter peccat. Hinc qui sciens, rem esse malam, dubitat autem, an leviter sit mala, vel graviter, atque ita rem operatur, reus est peccatis gravi. Excusatur autem satis probabiliter a peccato gravi, si nullo modo, ne confuse quidem advertat periculum graviter peccandi, nec obligationem rem examinandi; præsertim si res non sit certo pro se lethale peccatum, & ita operans sit meticulousæ conscientiæ.

15. *Quæst. 3.* An licet operari cum conscientia speculative dubia? R. id licere, si possit operans ex aliis rationibus, vel ex principiis reflexis practice judicare, actionem aliquam esse certo moraliter honestam. Nam ut sapienter notat Episcopus Abelly, aliæ sunt rationes, quibus judicamus de rei veritate, nempe de probabilitate, aut dubitate alicujus opinionis v. g. quod bellum hoc sit probabiliter, aut dubie justum; aliæ, quibus judicamus de honestate actionis, scilicet, quod in hoc bello, imperante principe, liceat subdito præliari, juxta doctrinam S. Augustini in can. *quid culpatur.* Principia autem, ex quibus facile quis potest conscientiam relexam efformare, præcipua sunt illa: *lex dubia non potest certam obligationem inducere: in dubio melior est conditio possidentis.* Sunt qui velint, in materia morali, seu præ-

cepti legem semper possidere, & non libertatem. Contra vero nos dicimus, aliquando possidere legem, aliquando libertatem; nimirum lex possidet, cum pro ea stat præsumptio; possidet autem libertas, cum præsumptio stat pro libertate. Sed quæres: undenam ego dignoscam, pro qua parte stet præsumptio? R. pro ea, quæ non tenetur rem probare, sed onus probandi in alteram transfert; *factum enim non præsumitur, nisi probetur, lege 2. de prob.* In dubio igitur factum non præsumitur, sed est probandum. Quod si factum est certum, puta, si matrimonium certo sit initum, dubitatur autem, an rite sit initum, aliud principium servari oportet, scilicet: *in dubio omne factum præsumitur recte factum; sive in dubio præsumitur recte factum, quod de jure faciendum erat: aliter standum pro valore actus.*

16. Hinc deduco 1. lex dubie condita, aut promulgata non obligat, quia possessio stat pro libertate. 2. in dubio, an aliquod onus sub lege promulgata contineatur, non tenetur illud implere; quia pro ea parte, de qua dubia lex est, lex non possidet. Contra vero si lex sit certe condita, & promulgata, dubitatur vero, num illa sit abrogata, vel dispensata, est observanda, quia lex possidet. Idem dico, si dubitetur, an lex per se justa, sit acceptata, nec ne, quia præsumitur factum, quod de jure faciendum erat. 3. quod dictum est de lege, intelligendum est de voto, quod est instar legis, quam homo sibi imponit. Itaque ducitans, an votum emiserit, voto non ligatur: sic pariter

dubitant, an in voto emisso aliquid comprehendatur, ad illud non obligatur; pro illa enim parte votum non possidet, ut habetur ex cap. *ex parte 18. de Censibus*. Contra vero qui certus est de voto, dubitat autem de voti adimplentione, tenetur adimplere, eo quod votum possideat. Deduco 4. etiam si quis probabiliter iudicet, se voto satisfacisse, adhuc voto obligari. Ita Filiucius, Leander, Antoine, Concina contra Lugo, Salmant. Roncaglia, aliosque multos. Ratio mihi est, quia quotiescumque votum certo est emissum, possessio stat pro voto, & non pro libertate, quæ voto ligata manet, donec votum certo sit impletum. Intellige, nisi tanta sit probabilitas, ut moraliter certam reddat præsumptionem pro satisfactione voti.

17. Si quis autem emisit votum & postea rem promissam implevit, inmemor tamen obligationis voti valde probabiliter voto satisfacit. Præsumitur enim nisi contrarium constet, generalem illi adfuisse voluntatem satisfaciendi prius oneri ex obligatione debito, & postea opera supererogationis implendi. Ita communis sententia cum Suar. Azor. Ex eadem doctrina quæstiones alius facile solves.

18. *Quæst. 4.* an possessor bonæ fidei, superveniente dubio teneatur aliquid pro rata dubii restituere? R. si dubium pro utraque parte sit æquale, communis sententia negat obligationem restituendi, ex reg. juris in 6. *in pari casu melior est conditio possidentis*. Quid autem, si rationes contra possessorem sint validiores? Prima sententia docet, possessorem debere res-

tituere pro rata majoris propensionis; quia conditio possidentis est quidem melior in pari dubio, minime autem in dubio inæquali. Ita Sanchez, Valentia, & alii. Opinio tamen communior est, & probabilior ad nihil eum teneri; quia per possessionem acquiritur jus verum, & legitimum: definitur enim possessio; *jus insistendi in re non prohibita possideri*; ab hoc autem jure non deturbatur, donec constet, rem esse alienam. Debet tamen possessor, superveniente dubio rem apud se integram asservare, donec diligentia adhibeatur ad veritatem assequendam; adhibita vero opportuna diligentia, si veritatem assequi non possit, consumere illam potest, atque etiam alienare, admonito tamen emptore de dubio vertente super re, quam alienat. Quid vero dicendum in ea hypothesisi, in qua ratio sit probabilis contra possessorem, nulla pro possessore? R. non convenit inter DD. quorum tamen variæ opiniones videtur sic posse conciliari. Si possessio certa sit, & legitima bonæ fidei, etiam si nulla ipsi alia ratio probabilis adsistat, imo etsi in contrarium probabile adveniat fundamentum, licet possessori, rem illam retinere. Et est hujus ratio; quia sola possessio, quæ legitima sit, præbet jus certum, certamque fundat præsumptionem de justitia alterius, contra quod non prævalet nisi moralis certitudo. Hinc si possessio ex aliqua parte infirma fuit, aut dubiæ fidei, possessor tenetur restituere, quando rationem habet probabilem pro alia, pro se autem aut nullam habet, aut non nisi tenuem.

19. *Quæst. 5.* Quid si possessor bonæ fidei, dubia superveniente, negligat culpabiliter diligentiam adhibere, sed postea non possit verus dominus amplius inveniri? R. sunt qui dicant, eum teneri, pro rata dubii rem illam restituere: alii contra probabile censent, ad nihil teneri, licet in omnia diligentia lethaliter peccaverit; cum ex una parte damnum sit incertum, & ex alia jus possessionis bona fide acquisitum adhuc ipse retineat. Verumtamen ego censeo, possessorem teneri tunc aliquid restituere vel domino, vel pauperibus, si dominus sit incertus. Ratio est, quia ille non sine culpa privavit dominum ea spe, quam ad rem habere poterat, quæ spes cum esset pretio æstimabilis, damnum ipsi certo est illatum. Puto autem, restitutionem faciendam non esse pro quantitate dubii, ita tu si rationes pro utraque parte sint æquales, res illa, vel ejus pretium pro medietate sit restituendum, sed minus, & forte multo minus. Et est ratio, quia spes illa domini non potest comparari cum certo jure possessionis, cum possessio rei multo magis æstimari soleat, quam spei possessio.

20. *Quæst. 6.* Utrum possit sumere Eucharistiam, qui dubitat, an aliquid cibi, vel potus deglutiverit? Negant multi cum Sanchez, eo quod legi certæ non communicandi absque jejuniis non fit satis per dubiam satisfactionem: addunt aliam rationem, quia id non videtur carere gravi irreverentia. Affirmant alii cum Lugo, & Sporerio licere in tali dubio, communicare. Atque horum est ratio, quia lex jejunii ad

comunionem præcedendi, non tam præcipiens est, quam prohibens, ut constat ex Conc. II. Bracar. Can. 10. prohibente, *ne aliquis quocumque cibo præsumpto oblationem consecret in altari.* Idem constat ex Tolet. VII. & ex Constant. Sess. XIII. In dubio igitur de fractione legis, possidere videtur libertas communicandi, dummodo, prævio examine, non constet, fractum esse jejunium. Nec videtur id pugnare reverentiæ, quia lex dubia non obligat, & potest quisque in eo casu uti jure suæ libertatis.

21. An autem idem dicendum, si dubites, an post mediam noctem cibum, potumve sumpseris? Negat Lugo, quia, ut ait, cum quis scit, se comedisse, dubitat autem, an comederit post mediam noctem, videtur, illi incumbere onus probandi, se post mediam noctem non comedisse. Sed pace tanti viri dixerim, rationem supra adductam legis prohibentis, non positive præcipientis, aut hic etiam, aut nec in primo casu valere. Prohibitio certe est non communicandi illis, qui cibum, potumve superint post mediam noctem: Ergo si, ut quis non communicare possit, probandum est factum, quod aliquid sumpserit; eadem ratione probari oportet, quod sumpserit post mediam noctem. Hinc affirmantem sententiam tenent plurimi DD. quos sequitur Amor docens, eum, qui comedit in dubio, an elapsa fuerit hora noctis duodecima, posse die sequenti communicare: *quia melior est conditio possidentis, quamdiu in contrarium non dantur præsumptiones tam fortes, ut operans probabilius credat, jam sonuisse duodecimam.*

## CAPUT III.

## De Conscientia probabili.

22. *Quæst. 1.* Quid est Conscientia probabilis, & quot species probabilitatis? R. Conscientia probabilis ea est, qua quis ratione probabili innixus format sibi ex principiis reflexis dictamen practicum ad recte operandum. Porro opinio probabilis vocatur, quæcumque aliquo fundamento nititur, non quidem certo, sed probabili. Quod si leve sit, & tenue fundamentum ad assentiendum, opinio erit leviter, & tenuiter probabilis: quæ tamem dici non meretur absolute probabilis, quum non valeat ad se trahere viri prudentis assensum. Solum ergo erit vere probabilis, quæ gravi fundamento nititur ad assentiendum, quambis cum formidine de opposito. Quod fundamentum si ab intrinseca ratione petitur, opinio erit intrinsece probabilis; si a DD. auctoritate erit extrinsece: si ab utraque, opinio dicetur probabilis tum intrinsecus, tum etiam extrinsecus. Probabilior est, quæ nititur fundamento graviori, quam opposita, licet hæc sit quoque probabilis. Probabilissima, quæ fundamentum habet gravissimum, ita ut contraria non nisi leviter sit probabilis. Opinio demum tuta est, quæ recedit ab omni peccandi periculo: tutior, quæ magis recedit a tali periculo, tametsi rationibus firmiter non innitatur.

23. Deinde animadvertite, aliam esse proba-

bilitatem facti, aliam Juris. Prima versatur circa rei veritatem, sive rei substantiam, v. g. an Sacramentum in hac materia collatum sit validum: an contractus cum tali pacto initus, sit usurarius, necne. Probabilitas autem juris versatur circa honestatem actionis, puta, an liceat, Sacramentum cum tali materia conferre: an contractam inire liceat cum tali pactione — His positus, sit —

24. *Quæst. 2.* An liceat uti opinione probabili probabilitate facti, cum damno alterius, vel sui ipsius? nunquam id licet; quia probabilitas hæc non tollit periculum damni; si enim falsa sit opinio, certe sequetur damnum proximi, vel ipsius operantis. Sic v. gr. si baptismus cum saliva collatus, revera sit invalidus, probabilitas opposita non efficiet, ut valeat baptismus. Hinc colligitur 1. non esse licitum in materia fidei, & aliis ad salutem æternam necessariis sequi opinionem sive probabilem, sive probabiliozem, relicta tutiori. Constat ex prop. I. damnata ab Innoc. XI. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

25. Colligitur 2. Medicum teneri ad adhibenda remedia infirmis tutiora. Imo si non appareat medicamentum certum, tenetur uti remedio, quod sit probabilius, relicto minus probabili, quia ratione officii sui, & ex titulo quo-



que caritatis debet saluti infirmi providere, meliori ratione, qua possit. Quid vero si desperatur de ægroti sanitate? poterit ne Medicus applicare ipsi remedia, quæ dubitat, an prosint, vel obsint? R. cum communi sententia, & forte probabiliori, licitum id esse, quia cum de infirmo desperatur, conformius est prudentiæ, & voluntati infirmi applicare illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis. Idque ut certum habet Antoine agens de officio Medici. Quod si remedium sit probabiliter profuturum ægro, non modo potest, verum etiam debet Medicus illud applicare, quando non habet certum. Non licet tamen, infirmo etiam conclamato, adhibere remedium, ad faciendum experimentum, cum periculo mortis, aut illius accelerationis; id enim esset, cooperari illius morti, quod nefas est.

26. Colligitur 3. Judicem teneri ad judicandum juxta sententiam probabiliozem. Constat ex prop. II. damnata ab Innoc. XI. *Probabiliter existimo, iudices posse judicare juxta opiniones, etiam minus probabiles.* Ratio vero est, quia Juxta debet ex Divino, & humano præcepto, jus suum cuique tribuere pro majori pondere rationum, quæ cuique favent.

27. Coll. 4. in Collatione Sacramentorum Ministro non licere, uti opinione nec probabilis, nec probabiliori circa valorem Sacramenti, relicta tutiori. Constat ex prop. damnata, quam supra retulimus n. 24. Intellige, nisi, *adsit necessitas*; hac enim urgente, licite possumus, imo & debemus sæpe uti opinione minus proba-

bili circa valorem Sacramenti, ut quo possimus modo, animarum saluti consulamus. Quo pacto autem in eo casu, Sacramenta sint conferenda, suo loco dicemus.

28. *Quest. 3.* An sicut in collatione Sacramenti, sic in susceptione prohibeamur, uti opinione tantum probabilis? Prima sententia affirmat, eamque tenent Cardenas, Viva, Lacroix. Ratio ipsis est, quia specialis reverentia Sacramentis debita postulat, ut non exponatur periculo frustrationis. Hinc dicunt, in propositione damnata quoad Sacramentorum administrationem, virtualiter, ut ajunt, damnari eorundem susceptionem cum opinione minus probabilis; idem enim est in utraque periculum. Nihilominus id negant alii multi, quia utens opinione probabilis nullam videtur injuriam irrogare Sacramento, nec videntur Sacramenta majorem exposcere reverentiam, quam cetera præcepta Divina. Tamen a 1. sententia censeo non recedendum, quia secunda fere nunquam in praxim reduci poterit a suspicientibus Sacramenta sine proprio animarum detrimento.

29. *Quest. 4.* An liceat uti opinione probabilis probabilitate Juris? Præmit. 1. nunquam licere, uti opinione tenuiter probali; quia probabilitas hæc non est vera, & practica probabilitas, sicut tenuis fortitudo, aut peritia dici nequit vera fortitudo, & peritia, sed potius imbecillitas, & imperitia. Hinc merito damnata est ab Innoc. XI. propositio III. *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus*

non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. Præmitto 2. certum esse, licere nobis uti opinione probabilissima. Constat ex prop. III. damnata ab Alex VIII. Non licet sequi opinionem vel inter probabilis probabilissimam. Quam propositionem docuerunt Sinichius, & Vendrochius, nec ab ea multum distare videntur Fagnanus, & Genettus, qui ad recte operandum requirunt opinionem ita certam, ut omnem omnino formidinem erroris excludat; id quod non convenit opinioni etiam probabilissimæ. His positis dico, licitum esse cuique, uti opinione probabili, probabilitate juris, formando sibi conscientiam moraliter certam de honestate actionis. Sed quo pacto hanc sibi conscientiam efformare possit, dicemus sequenti dissertatione.

#### EPITOME DISSERTATIONIS.

##### De usu moderato opinionis probabilis.

1. Compendiarie nos tradimus, quæ auctor hic docta quidem, sed proluxa dissertatione comprehendit, quam legere non sine fructu poteris. Dico igitur 1. Non licet sequi opinionem minus probabilem, cum opinio, stans pro lege, est *notabiliter*, aut *certe* probabilior. Dico, aut *certe*, quia cum opinio, favens legi, est *certe* probabilior, & sine ulla hæsitatione, non potest non esse quoque *notabiliter* probabilior. Et in eo casu opinio tutior, stricte loquendo, non erit jam dubia; sed moraliter, aut quasi mo-

raliter certa, cum pro se certum habeat de veritate fundamentum. Unde fit, ut opinio minus tuta, quæ certo fundamento caret, remaneat tenuiter, aut saltem dubie probabilis respectu tutioris: proinde imprudenter agit, qui eam amplectitur. (\*) Ratio est, quia dum intellectui diserte constet, veritatem stare magis pro lege, quam pro libertate; quo pacto voluntas poterit prudenter, & sine culpa minus tutæ adhærere? Certè tunc homo non proprio iudicio innixus ageret, sed potius violentiam quandam intellectui voluntas inferret, ut ab ea parte, quæ verosimilior sibi apparet, removeretur, & in eam partem inclinaret, quæ sibi vera non apparet, imo quæ videtur certo fundamento carere veritatis. Atque huc redit illud Apostoli Rom. 14 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*

2. Dico 2. cum duæ sint opiniones adversæ, *æqualiter*, aut fere *æqualiter probabiles*, licet nobis, minus tutam amplecti. Dixi aut fere *æqualiter*, quia dum excessus est tenuis, aut dubius, pro nullo reputatur. Jam verò doctrinam hanc nostram duplici principio innixus tueri contendo: alterum est: in nostra hypothesi

(\*) Non videtur in hac dissertatione constare sibi Ligorius, quod pace tanti Viri dictum sit. Ait enim primo, opinionem *certo*, & *notabiliter* probabiliozem esse moraliter, vel quasi *moraliter* certam, ita ut contraria evadat *tenuiter*, aut saltam *dubie* probabilis. Ad calcem autem dissertationis negat, opinionem probabilissimam esse moraliter certam; ejusque contrariam vocat vere, & solide probabilem. Quo pacto hæc duo inter se cohæreant, plane non video.